



Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

LVII. Quòd homo non sit nimis dejectus, quando in aliquos labitur defectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

CAPUT LVII.

Quod homo non sit nimis dejectus,
quando in aliquos labitur
defectus.

I. **F**illi, magis placent mihi pati-
 entia & humilitas in adver-
 sis, quam multa consolatio & devo-
 tio in prosperis.

Ut quid te contristat parvum fa-
 ctum contra te dictum?

Si amplius fuisset commoveri
 non debuisses.

Sed nunc permitte transire: non
 est primum nec novum, nec ulti-
 mum erit, si diu vixeris.

Satis virilis es, quamdiu nil ob-
 viat adversi.

Bene etiam consulis, & alios no-
 sti roborare verbis: sed cum ad ja-
 nuam tuam venit repentina tribu-
 latio, deficis consilio & robore.

Attende magnam fragilitatem
 tuam, quam saepius experiris in mo-
 dicis objectis: tamen pro salute
 tua

R 4

llexisti
 mihi
 crux
 eam
 suisti
 crux
 non
 nul,
 hanc
 seve-
 dux
 nos
 me-
 ori
 is
 CA-

tua ista fiunt, cùm & hæc similia
contingunt.

2. Pone, ut melius nōsti, ex cor-
de: & si te tetigit, non tamen dej-
ciar, nec diu implicit.

Ad minus sustine patienter, si
non potes gaudenter.

Etiam si minus libenter audis, &
indignationem sentis: reprime te,
nec patiaris aliquid inordinatum
ex ore tuo exire, unde parvuli scan-
dalizentur.

Citò conquiescat commotio exci-
tata, & dolor internus revertente
dulcorabitur gratiâ.

Adhuc vivo ego, dicit Dominus,
juvare te paratus, & solito amplius
consolari; si confisus fueris mihi, &
devotè invocaveris.

3. Animæquior esto, & ad ma-
jorem sustinentiam accingere.

Non est totum frustratum, si te
sæpiùs percipis tribulatum, vel gra-
viter tentatum.

Homo es, & non Deus: caro es,
non Angelus.

Quo-

Quomodo tu posses semper in eodem statu virtutis permanere, quando hoc defuit Angelo in cœlo, & primo homini in paradiſo?

Ego sum, qui merentes erigo sospitate: & suam cognoscentes infirmitatem, ad meam proveho divinitatem.

4. Domine, benedictum sit verbum tuum, dulce super mel & fayum ori meo.

Quid facerem in tantis tribulationibus & angustiis meis, nisi me confortares tuis sanctis sermonibus?

Dummodo tandem ad portum salutis perveniam, quid curæ est, quæ & quanta passus fuero?

Da finem bonum: da felicem ex hoc mundo transitum.

Memento mei, Deus meus,
& dirige me recto itinere in
regnum tuum. Amen.



R 5

CA-